

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung:

1 Aequor Iasonio pulsatum remige primum,  
2 quaeque nec hoste fero nec nive, terra, cares,  
3 ecquod erit tempus quo vos ego Naso relinquam  
4 in minus hostili iussus abesse loco?  
5 an mihi barbaria vivendum semper in ista,  
6 inque Tomitana condar oportet humo?  
7 pace tua, si pax ulla est tua, Pontica tellus,  
8 finitimus rapido quam terit hostis equo,  
9 pace tua dixisse velim, tu pessima duro  
10 pars es in exilio, tu mala nostra gravas.  
11 tu neque ver sentis cinctum florente corona,  
12 tu neque messorum corpora nuda vides.  
13 nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas:  
14 cuncta sed inmodicum tempora frigus habent.  
15 tu glacie freta vincta tenes, et in aequore piscis  
16 inclusus tecta saepe natavit aqua.  
17 nec tibi sunt fontes, laticis nisi paene marini,  
18 qui potus dubium sistat alatne sitim.  
19 rara, neque haec felix, in apertis eminet arvis  
20 arbor, et in terra est altera forma maris.  
21 non avis obloquitur, nisi silvis siqua remotis  
22 aequoreas rauco gutture potat aquas.  
23 tristia per vacuos horrent absinthia campos,  
24 conveniensque suo messis amara loco.  
25 adde metus, et quod murus pulsatur ab hoste,  
26 tinctaque mortifera tabe sagitta madet,  
27 quod procul haec regio est ab omni devia cursu,  
28 nec pede quo quisquam nec rate tutus eat.  
29 non igitur mirum, finem quaerentibus horum  
30 altera si nobis usque rogatur humus.  
31 te magis est mirum non hoc evincere, coniunx,  
32 inque meis lacrimas posse tenere malis.

Fortsetzung nächste Seite!

**II. Sprachliche Erläuterungen:**

1. Nennen Sie die in V. 7 verwendeten rhetorischen Figuren!
2. Erklären Sie den Tempusgebrauch bei dixisse (V. 9) und natavit (Z. 16)!
3. Um welche Wortart handelt es sich bei potus in V. 18?